



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Caput Primum. Nomen, essentia, dignitas, ac definitio Sacramenti Eucharistiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834



TRACTATUS QUARTUS.
DE
SACRAMENTO
EUCCHARISTIÆ.

CAPUT PRIMUM.

*Nomen, essentia, dignitas, ac definitio
Sacramenti Eucharistiæ.*

Quæst. 1. **Q**UIBUSNAM præcipuis nominibus insignitur Eucharistiæ Sacramentum?

D. Th. 3. p.
q. 73. art. 4.
in corp.

Resp. Hoc Sacramentum, ait Divus Thomas, habet triplicem significationem. Vnam quidem respectu præteriti, in quantum scilicet est commemorativum Dominica Passionis, quæ fuit verum Sacrificium; & secundum hoc nominatur SACRIFICIUM. Aliam autem significationem habet respectu rei præsentis, scilicet Ecclesiasticæ unitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum; & secundum hoc nominatur COMMUNIO seu synaxis. Dicit enim Damascenus 4. lib. de fide Orthodoxa cap. 14. quòd dicitur Communio, quia communicamus per ipsam Christe, & quia participamus de ejus carne & Deitate, & quia communicamur & unimur ad invicem per eum. Tertiam significationem habet respectu futuri, in quantum scilicet hoc Sacra-

De Sacramento Euchar. Cap. I. 127

mentum est prefigurativum fruitionis Dei, qua erit in patria; & secundum hoc dicitur VIATICUM; quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi; & secundum hoc etiam dicitur EUCHARISTIA, id est, bona gratia, quia gratia Dei vita æterna, dicitur Rom. 6. vel quia realiter continet Christum qui est plenus gratiâ. Dicitur etiam in Græco Metalepsis, id est, assumptio, quia, ut Damascenus dicit, per hoc Filii Deitatem assumimus.

Secundam ejus significationem innuit Apostolus, cum ait: Quoniam unus Panis, unum Corpus multi sumus, omnes qui de uno Pane participamus.

1. ad Corin-
th. v. 10. c.
17.

Dicitur etiam in Catechismo Concilii Tridentini, Sacramentum pacis & charitatis; ut intelligeremus, quàm indigni sunt Christiano nomine, qui inimicitias exercent; odiaque, dissidia, & discordias, ut teterrimas Fidelium pestes omninò exterminandas esse, cum præsertim quotidiano Religionis nostræ sacrificio, nihil nos studiosius servare, quàm pacem & charitatem profiteamur.

p. 2. De Eu-
char. Sacram.
nu. 4.

Quest. 2. Eucharistia est-ne Sacramentum?

Resp. Est de fide, Eucharistiam esse Sacramentum, cum id definitum fuerit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. in cap. Firmiter. De summa Trinitate. Et cap. 1. & 2. sess. 13. Conc. Trident. & ut ait sanctus Antoninus; Eucharistia est maximum sacramentum quoad essentiam, licet quædam alia dicantur majora secundum alios respectus; unde versus: Major in effectu Baptismus: Corpus in esse: Conjugium signo majus, sed Chrisma Ministro.

S. Ant. 3. p.
tit. 14. c. 12.
in princ.

Quest. 3. Quid est Eucharistia?

Resp. Est novæ legis Sacramentum continens

sub speciebus Panis & Vini Corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi vi verborum consecrationis, institutum ad spiritualem hominis refectionem.

Hæc definitio complectitur materiam, cum dicitur, *Sacramentum Corporis & sanguinis Jesu-Christi*: Formam, cum dicitur, *vi verborum consecrationis*, quæ sunt forma hujus Sacramenti: *Institutum*, significat causam efficientem, quæ est Christus: *Ad spiritualem hominis refectionem*, significat causam finalem, quia est finis & effectus hujus Sacramenti. Hæc definitio satis clara est, nec ulteriori indiget explicatione, plenius tamen patebit, ex infra dicendis, in Capitibus sequentibus.

Quæst. 4. In quonam propriè consistit Sacramentum Eucharistiæ?

Resp. De fide est, Definitum in Concilio Tridentino, Eucharistiam non consistere in re aliqua transeunte, cujusmodi sunt verba consecrationis, & usus qui fit hujus Sacramenti, in ejus sumptione, fractione, distributione, &c. sed consistere in aliqua re permanente. *Si quis dixerit*, ait Concilium Tridentinum, *peractâ consecratione, in admirabili Eucharistia Sacramento non esse Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu-Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post, & in hostiis seu particulis consecratis qua post Communionem reservantur, vel supersunt non remanere verum Corpus Domini, anathema sit.*

Et consequenter hoc Sacramentum ab aliis differt; quia illa consistunt in actione transeunte, quæ est applicatio formæ ad materiam, ut Baptismus in ablutione, ita ut non existant, nisi dum conferuntur, aut suscipiuntur: At

De Sacramento Euchar. Cap. I. 129

Eucharistiæ Sacramentum, consistit in re permanente.

Quod probatur primò ex Scriptura sacra, in qua constat, Christum Dominum hæc verba protulisse: *Hoc est Corpus meum*, priusquam distribueret Eucharistiam Apostolis; ex quo perspicuum est, Corpus Christi Domini fuisse sub speciebus Panis, ac proinde verum Sacramentum antequam distribueretur.

Secundò probatur sanctis Patribus: Juxta sanctum Augustinum in Psalmum 33. *Christus seipsum portavit in manibus suis dum Eucharistiam portaret*: At evidens est, non potuisse seipsum portare in manibus suis, nisi ejus Corpus fuisset sub speciebus Panis, priusquam manducaretur: hoc igitur Sacramentum non consistit in manducatione.

Et sanctus Justinus in Apologia secunda, ait, *Post Sacramenta peracta, Eucharistia consuevit deferri ad absentes.*

Quæst. 5. Quænam est hæc res permanens in qua consistit Eucharistiæ Sacramentum?

Resp. Sacramentum Eucharistiæ consistit essentialiter in speciebus Panis & Vini, & in Corpore, & Sanguine Jesu-Christi contentis sub his speciebus, ut patet ex Canone ubi legitur; *Sacrificium Ecclesiæ duobus conficitur, duobus constat: visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu-Christi carne & sanguine.*

Can. Hoc est.
De Consecr.
dist. 29

Quæst. 6. Quænam est dignitas Sacramenti Eucharistiæ?

Resp. Dignitas hujus Sacramenti rectè explicatur ab Alexandro Papa III. relato in Canone, ubi ait: *Nihil in sacrificiis majus esse potest, quàm Corpus & sanguis Christi, nec ulla oblatio hæc potior est. Sed hæc omnes præcellit, quæ purâ conscientia Domino offerenda*

Can. Nihil.
De Consecr.
dist. 21

est, & purâ mente sumenda, atque ab omnibus veneranda: & sicut potior est cæteris, ita potius excoli & venerari debet.

Quæst. 7. Unde sumenda est unitas aut multiplicitas Sacramenti Eucharistiæ?

Resp. Cum Eucharistiæ Sacramentum institutum sit ad spiritualem animæ refectionem, sequitur unitatem, aut multiplicitem hujus Sacramenti, sumendam esse ex habitudine, aut conjunctione morali, quàm habent species consecrationis ad unam, aut plures refectiones spirituales: quare cum simul præbetur una, vel plures Hostiæ consecratæ, censentur moraliter loquendo unam tantum efficere refectionem spiritualem, ideoque unum tantum est Sacramentum: sed si dantur pluribus distinctis refectionibus, ut cum præbentur plures Hostiæ consecratæ, pluribus personis, aut eidem diversis temporibus, tunc sunt plura Sacramenta numero distincta, cum sint plures refectiones spirituales.

C A P U T II.

De Materia remota Sacramenti Eucharistiæ.

Quæst. 1. **Q**UOTUPLEX est materia Sacramenti Eucharistiæ?

Resp. Duplex materia, duplexque forma Sacramenti Eucharistiæ distingui potest, materia scilicet & forma remota, quæ necessariò requiruntur ad consecrationem hujus Sacramenti, & materia & forma proxima quæ sunt partes componentes hoc Sacramentum.

Quæst. 2. Quænam est materia remota hujus Sacramenti?